...istophi Sertum florale ex quinque flosculis contextum. [...]

SERTVM FLORALE,

Ex quinque Flosculis:

Venerabili Domino ALBERTO ŁANCVCKI SCAVINIO, in Ordine XII.

DVM

In ALMO LYCÆO Cracouiensi, Artium & Philos. Licentiatus, à Clarissimo & Admod. Rndo D. MARTINO CAMPIO VADOVIO, S. Theol: Doct: & Professs. S. Flor: Præp. Almæ Vniu: Procanc: digniss. publicè RENVNTIARETVR.

A

CHRISTOPHORO MISKOWSKI NOVICAMPIANO, eiusdem 2dæ Laur. Candidato, tanquam Fratri amantissimo, amoris & honoris ergô, contextum & oblatum.

IN STEMMA ALMÆ ACAD: CRACOVIENSIS.



Hæc duo Sceptra pij, referunt duo Symbola Regis,
Et decora ingenuæ nobilitatis habent.
Nam labor auget honorem, honor inde labore para-
Et pater ipſe tui, creſcit honore, labor. (*tur:*
Creſcit honore labor, creſcuntq́; laboris honores,
Tantam in honore labor iunxit amicitiam.

Ioannes Lodzinſki Stud: Rheth.

Apoſtrophe.

Integra dum toto ſurgit tibi termite laurus,
Parturit & capiti Florea ſerta tuo.
Accipe, contextum Floræ de gramine ſertum,
Implicitumq́; geras, Daphnide ſacra caput.
Hoc tandem aſsidui, ſertum meruere labores,
Grande operæ precium, mens tibi prompta feret.

SERTVM FLORALE.
Ode Dicol: Diſtroph.

Iam trux recede bruma;
Aſperum gelu recede.
Ver aureum, coruſcis
Floribus coloret ârua.
Adeſte, adeſte flores.
Huc adeſte purpurati,
Violæ, roſæ, liguſtra
Alba, floſq́; amoris vnà
Hiacynthe, purpurate,
Caltha flaua adeſto, adeſto.
Variate mî coronam,
Inclytam nimis coronam.

ALBERTE cinge tandem
Candidiſsimâ Coronâ,
Frontem nimium decoram,
Candidate Victor. Iſtam
ALBERTE laus Sophiæ,
Nos plicauimus coronam,
Hæc prima ſunt trophæa,
Sed parantur ampliora.

I.
Liguſtra.

Purpureos flores humus affert Vere comanti,
Vt noſtri exornet, tempora clara Sophi.
Alba liguſtra ſimul campis funduntur apertis;
ALBERTVMq; meum, cingere ritè parant.
Candida ſunt, Pallas quod candida pectora poſcat,
Dulcis odor floris, dulcis honoris odor.
Candidus es ALBERTE, datur tibi floſculus albus,
Quam benè candidulo, candida ſerta damus.

II.
Hiacynthus.

Virtutum ſplendorem Hiacynthus odore propagat,
Atq; colore refert, fulgida tecta Dei.

Aſt tua

Aſt tua pro meritis mihi quid bona ſymbola promant,
Neſcio? candide flos, lauſq;, decuſq; Sophûm.
Danda forent hîc magna tibi: dabit alma Minerua
Nil præter flores, Florea Diua dabit.
Illa dabit laurum, dabit hæc Hiacynthia ſerta,
An ne decent tantum talia ſerta Sophum?
Cælo flos Hiacynthus amicum ſpirat odorem,
At color aſtra notat; num grauiora petis?

III.

Violæ.

Quos tandem iuſto dabimus tibi munere flores
ALBERTE, eximia Cecropis arte potens.
Sentio quid virtus, quid pectoris ardor anhelat,
Mollibus en violis? nobile ſparge caput.
Diffundet ſic fama tuas per ſæcula laudes,
Funditur vt violis, vndiq; gratus odor.
Cæpiſti benè, perge, & quò vocat aurea Pallas,
Subſequere, Atrida nomine maior eris.

IV.

Narciſſus.

Audin? ecce tuo pulcher Narciſſus inhæret
Serto, cum laurum frons gerat ante ſacram.

Sunt hæc Palladijs iunctiſsima gramina ſertis,
Phæbum muneribus, d ſcute cauſa ſubeſt.
Purpureus viridi color additur: excute ſenſum,
Hic viret, illa rubet, flagrat hic, illa viget.
Dum viret alter erit, tibi vt alter vbiq; rubeſcat
LANCVCI rides? accipe quo Sophus es.

V.
Caltha.

Inter odoratos non vltima gloria flores,
Aurato in ſertum Caltha colore venit.
Cui dabitur flos ille micans, flos aureus ille,
Cuius inaurabit, Calthula flaua comas.
Ergo tuas ALBERTE comas, tua tempora cinget.
Cinget! namq; tibi florida Flora venit.
Flora venit, ſerto tandem permiſta niteſcat
Caltha, perauratos Te vehat illa polos.

Omen victoriæ.

Accipe non vacuo contextos omine flores:
Suſpendas fronti, florida ſerta tuæ.
Oſtentent aquilas alij, victricia ſymbola in hoſtem
Euibrent alij nobilitate pares.
Murales alij ſeruatriceſq; coronas
Geſtent, ſeruatis ciuibus incolumes.

Geſta

Gesta triumphatis alij legionibus addant:
Frõtem alij quernæ frondis, honore premant.
Cæsariem rutilo ter vincens implicet auro,
Te quoq; victorem, florea serta canunt.
Symbola virtutis, felicia serta fuêre,
Symbola quis serto denegat ista tuo.
Frontis honos sertum, florens auroq́; refulgens
Est insigne tui, nobilis ingenij.
Adde, quod hoc annum pingat, quia termite menses
Tempora bis senos, bis quoq; sena notet.
Ergo hoc omen habe, victoria iungitur anno,
Post tantas laudes, perge: Triumphus erit.

ODE GRATVLATORIA.
Dic: Tetrastrophos.

Tibi surgit aurea messis.

Non frustra colitur Mæonidum solum,
Phæbi nescit ager, fallere spem sui
Cultoris, nec amat semina perdere
Parnassus Genio potens.
Non credis Sophe? Sed nunc tibi gloriæ
Ridens messis adest. I mete sunt tui
Sudoris, studij, præmia. Laus bona
Turpem fugit inertiam.

Inunc

I nunc ergo mete, & nunc tibi præmia
Zeli parta lege. I ſertum & honos cùi
Defertur: ſegetem hanc hoc mete in Aprili,
Vix Auguſto alij metent.

Ioannes Ługowſki Stud: Gram.

Ode Tric: Tetraſtrophos.

Felix ingenium triumphat.

Non vſitato nec tenui feror
Abreptus æſtu, Cedite liuida
Tormenta curarum. arduus me
Ardor agit peramæna Floræ
Vireta, Verſu promere conſcio, &
Ornatq; Fratris tempora laureâ,
Quam nulla tempeſtas virentem,
Aut violenta premet vetuſtas.
Quæ tam venuſto laurea germine,
Celſum laborat ſurgere in æthera?
Quæ fama prenſatum laborat
Noſſe virum? ſtatuente Phæbo.
Hæc illa laurus, laurus amabilis
Amore cuius mille laboribus

Defuncta

Defuncta ſe gaudet iuuentus
Magnificos ſuperaſſe faſtus.
Quis eruditis ô tenerum caput
Tandem Sophorum cætibus intulit?
Quis feruor afflauit, Mineruæ
Ingenium & decus expetitum?
Iam nunc ſuperbo munere celſior
Exurge lætus; ſcande per arduum,
Quâ Daphnides ſurgunt, cacumen
Atria digna Sophis capeſſe.
Spectare ſummum iam videor decus,
Quod è decoro puluere Delij,
Per tot labores comparatum,
Nobiliore refers in auſu.
Audire nunc mî iam videor tuas
Laudes per Craci, climata ſpargere,
Iam te celebrat, & frequentes,
Gloria multiplicat triumphos.
O digne verſu magnifico cani
ALBERTE, nunc & digne per aurea
Tolli Tonantis regna. Digne
Sidereas, penetrare ſedes.

I nunc

I nunc coronâ Daphnidis inclyte:
I nunc per omnes vt libet ambitus
Telluris amplæ. Te sequuntur
Gloria, dulcis honor, triumphus.

EMBLEMMA. In Zoilum.

Heus Salpa, punges ergo Sertum? Venustor.

Ode Tric: Tetr.


Quî fit, quod alto vix oritur rubo
Pæstana, quam nos spinula lancinet;
An non odores absq; rhamno,
Se rigido rosei propagant?
Quî fit, quod alto vertice Olimpicis
Vicinus astris, inuidiam tamen
Calcaneo sentit, minacem:
Quâq; potest malè vellicantem?
Sertũ ergo carpes Mome meum vnguibus?
Tu ne ergo rodes dentibus ô Theon?
Sertum venustum, Heus Salpa punges?
Scilicet inuidus atq; rhamnus.
Sed lancinatæ maior odor rosæ.
Liuore, Virtus crescit in arduum.

Heus

Heus Salpa: punges ergo Sertum?
Nil agis, ô magis hinc venuſtor.

EPIGRAMMA DEDICATORIVM.

Nil vnquam Pyladi charus donauit Oreſtes
Maius: quam ſunt hæc munera noſtra data.
Noſtra parem Pyladi concernit charta ſodalem,
Munera non Fratrem me ſimulata probant.
Non te cæna mihi, non menſa parauit amicum,
Sed candor fidei, cordis amorq; tui.
Munera amoris habe: tulit iſta Polyhymnia ſacro
Ex horto Floræ, nunc tibi Serta Deæ.
His caput implicitum teneas, his docta corona
Tempora, & his læta hæc lux celebranda tibi eſt.
Ergo fraternis orno tua tempora donis,
Hæc animi tua vis poſcit, amorq; meus.





CRACOVIÆ,

In Officina Typographica Matthiæ Andreouienſis Anno Domini 1636.